



II
6









DE CERTIS RECTE interpretandi præceptis, &

vero quarundam propositionum sensu, apologica Ioannis Mansencalli Protopræsidis Tolosani declaratio.



DVCE VIRTVTE COMITE GLORIA.

TOLOSAE.

Ex officina Guidonis Boudeuillæi, impensis honestissimi viri Ioannis Moulnier.

In Portariete.

1552.

DE CERTIS RECTE interpretandi præceptis, & vero quarundam propoſitionum ſenſu, apologica declaratio.



Aec ſemper *fuit antiqui ſerpentis inuidia, vt inter eas nocendi artes, quibus humanum genus perpetuò opugnare non ceſſat, innocentiam malignis interpretationibus agitari, & vario ſemper calumniarum apparatu exturbari procuret. Hoc certè nequiſſimo dæmonis aſtu factum eſt, vt impia legis votorum interpretatione, Iepte innocentem filiam ſacrificio iugularit:* [a] *& Saul duriore edicti ſui interpretatione, in Ionatham mortis ſententiam dixerit:* [b] *atque Herodes peſſima legis iuriſiurandi interpretatione, beatiſſimum Iohannem capite plecti iuſſerit:* [c] *& Phariſæi IESVM in ſermone capiendum decreuerint:* [d] *nullúmque validius fuit aduerſus innocentes præſtigium, quàm malignarum interpretationum ſuaſio. Cui certam rectè interpretandi doctrinam Chriſtiana philoſophia prudentiſſimè obijciendam ſtatuit, quæ optimi cuiuſque interpretis officio duo maximè accedere, & perpetuò adeſſe debere cenſet: ſubtilem ſanè diſcretionem, qua dicendi*

a Iudi.xj.& c.vnuſquiſque 22.q.5.
b 1.Reg.14.& c.quæritur.xxij.q.iij.
c Mat.14.& d.c.vnuſquiſque.
d Mat.22.Mar.12.Luc.20.

causas & circunstantias acutè consideret: & benignitatem, qua in ambiguis humaniorem sententiam eligat. Hæc & si naturali ratione apud quosque sanæ mentis homines firmare sufficiat, amplißimam tamen sui commendationem in diuinis & humanis scripturis obtinent: vt de ea ipsa causarum consideratione receptißima extat regula, Dictorum intelligentiam ex causis assumendam esse dicendi. [a] Ideóque non modo ad parabolam, sed & ad interpretationem diligenter animaduertere sapientia docet. [b] De benignitate autem scribitur. Spiritus sapientiæ benignus est. [c] Quam benignè interpretandi doctrinã ex Opt. Max. legislatoris sententia insignis ecclesiæ concionator Beda egregiè commendans, hoc loco inquit. Nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea, quæ dubium est quo animo facta aut dicta sint, in meliorem partem interpretemur. [d] Quod & in ipso naturalis rationis lumine Iurisconsulti prudentißimè responderunt, in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus iustius esse, quàm tutius: &, Semper in dubijs benigniora præferenda esse. [e] Duriores itáque interpretationes lex iustißimè condemnat: [f] & astutas interpretationes improbat: [g] & duros quosque interpretes omnis philosophorum schola explodendos censet. [h] Hæc sanctißima præcepta nulla arte violari, nullo peruerti ingenio & si publicè priuatímque interest, maximè tamen ad Christianæ fidei religionem, ac diuinæ & humanæ legis lucem & dignitatem, omniúmque iudiciorum & censurarum æquitatem adeò necessaria existere certum est, quòd sine horum constantia præceptorum, vtriusque testamenti fides vacillaret, & densißimæ nos vndiquáque val-

a c. intelligentia de ver. sig. c. sciendum 29. di.

b Prouer. 1.

c Sap. 1.

d c. estote misericordes. de reg. iur.

e l. ea quæ in partes §. in re dubia. & l. semper in dubijs. ff. de reg. iur. & l. proximè. vers. sed in re dubia. ff. de his quæ in test. delen.

f L. 2. versi. sed hæc interpretatio. ff. de custodi. re. l. cum tale. in princi. c. de testa.

g l. ij. c. de legi. l. vltima. c. de agen. in re. lib. 12. l. penul. ff. ad exhiben.

h 5 Ethi. c. 10.

larent obuoluerén tque tenebræ, & de lege ipsa ac moribus Christianis penè actum esset. Nam & celebratissimum illud legis naturalis præceptum, quod in sacrosancta concione [i] Christus Opti. Maxi. enarrat, Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: si crudè ad propriam sermonis vniuersalis, imò vniuersaliter geminati naturam, excluso benignæ interpretationis officio intelligeretur, ad turpissima impijssimáque prouocaret flagitia: quandoquidem hæc vniuersalis verborum conceptio & geminatio apertè sonaret, quòd si quid, etiam explendæ libidinis affectu, aut inanis gloriæ ambitione, vel improbi quæstus cupiditate ab alijs nobis fieri, concedi, impendi, offerri vellemus, ipsi pariter aliorum libidinibus, ambitionibus, cupiditatibus, & improbis quibuscunque affectibus teneremur inseruire: & qui alterius coniugem, filiam, aut cognatam sibi prostitui vellet, deberet & ipse suam alteri prostituere: plurimáque id genus absurdissima inde consequi planum esset. Eadem quoque concione ait Christus. Nolite iudicare & non iudicabimini &c. Ego dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram, præbe ei & alteram &c. Ne solliciti sitis quid manducetis, aut quid induamini &c. Hæc nisi benignè interpretentur, nónne ecclesiastica & secularia iudicia damnant, & malo resistere vetant, omnémque rerum necessariarum sollicitudinem, sine quibus vita humana transigi non potest, improbant? Quod insuper idem Saluator ait, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo: [k] si benigna interpretatione destituatur,

i Math. 5. 6. & 7. c.

K Ioan. 3.

nónne protinus falsum esset quod Paulus ait? Aedificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. [a] *nónne fabulosa esset innumerabilis cœlicolarum turba, in beati Iohannis Apocalypsi descripta?* [b] *nónne inanis esset fides nostra, qua cœlestem expectamus ciuitatem?* [c] *Aliæ item euangelicæ, apostolicæ, propheticæ, & orthodoxorum scriptorum sententiæ permultæ, citra benignæ interpretationis concomitantiam, nónne absurdos inducerent errores? Istinc sanè maximam hæresum partem prodire, legum insuper & iudiciorum humanorum pugnantiam & confusionem accidere certum est, quòd à rectè interpretandi præceptis non pauci deficiunt. Indignum igitur, & à Christianæ pietatis officio alienum est, aliorum dicta aut scripta, contemptis rectè interpretandi legibus, non ad dicentis mentem conferre, sed in eum trahere aut flectere sensum, quem suo quisque præsumit arbitrio. Cùm itaque nostri cuiusdam libelli propositiones quatuor maleuola atque importuna æmulorum suggestione in censorum manus delatæ, & longè aliter quàm ipse senserim interpretatæ referantur: rectè atque ordine factum iri censui, si germanum earum propositionum sensum, ingenuámque animi mei rationem doctis simul & simplicibus, quantùm desuper datum est, apertiorem fecero.*

a 2.Cor.5.
b Apocalip.7.
c Hebre.11.

PRIMO dum in eo libello, de scandalis ex notorio sacerdotum concubinatu procedentibus agitur, inter cætera relata est ecclesiastica constitutio, interdicens notorijs concubinarijs celebrare, & omnibus fidelibus

libus eorum missam audire, duobus ad id expreßè citatis sanctorum patrum decretis. [d] *Et deinde subiungitur quòd notorij concubinarij, qui contra illam iuris prohibitionem celebrant: illi quoque qui eorum missam scienter audiunt, sunt (vt vulgaris sermonis phrasim referam) declarati & reputati idolatræ, etiam si tales notorij concubinarij sint per superiorem tollerati &c. Aiunt hanc propositionem esse falsam & hæreticam, in concilio Constantiensi & Basiliensi damnatam. Ego salua semper ecclesiæ catholicæ sententia, à qua vel iota vnum aut apicem dissentire nunquam in animo fuit, respondeo: quòd inter prædictorum conciliorum definitiones & decisiones nusquam legitur aut inuenitur aliqua huius propositionis mentio: idq́ vel ex ipsa lectione manifestè constat. Quanquam enim inter cæteros errores, in præfatis concilijs damnatos, condemnatus sit error asserentium, quòd episcopus vel sacerdos existens in peccato mortali non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat: hic tamen error nullo modo in prædicta propositione continetur, nec vllo consequentiæ genere ex ea inferri potest. Et profectò tantum abest vt illi vnquam errori assentire cogitarim, vt firmißimè semper contrariæ adhæserim sententiæ, & constantißimè adhæreo iuxta vulgatam determinationem, quæ ex multis sanctorum patrum decretis copiosè declaratur.* [e] *Insuper & plura hac in re concurrunt, quæ verum propositionis intellectum manifestant.*

PRIMO se offerunt expressa & apertissima sanctorum patrum & pontificum maximorum decre-

d c.nullus & c.præter.32.di.

e j.q.j.c.intra catholicam ecclesiam, vsq; ad c.non potest.§.cũ vita sacerdotum.&c. si iustus fuerit, vsque ad c.remissionem. §. sed notandum inclusiue.& c.cùm tantum de con.di.iiij.& in lib.4.sententiarum.d. v.vj.ix.xiij.& xix.

decreta in hæc verba. Eis (inquam) agentibus vel suscipientibus intantùm obsunt, ut verè idolatræ sint: cum talibus & ordinationum & sacramentorum confectio, & aliter quàm permissum est scienter susceptio, vehementer à sacris canonibus prohibeantur, dicto. c. præter, versi. ad hæc ita respondemus. 32. d. Extat & aliud decretũ in hæc verba. Qui verò huic saluberrimo præcepto (scilicet prohibitioni celebrationis, & auditionis missæ notoriè perseuerantium in fornicatione) obedire noluerint, idolatriæ peccatum incurrent. c. si qui sunt 81. d. Nec est quod dicant, non crudè referenda esse ea decreta. Nullam siquidem hic deprehendi posse cruditatem ex sequentibus apertè liquebit: maximè autem ex beati Alphonsi episcopi Abulensis doctrina, qui in libello contra concubinarios ædito. 3. & 13. conclusionibus, citatis canonum prædictorum sententijs, constanter asserit quòd sunt idolatræ. Eas patrum sententias nulla concilia, nullæ ecclesiasticæ constitutiones, nullæ orthodoxorum scriptorum interpretationes impugnarunt, accusarunt, damnauerunt. Habentur in decretis, leguntur in scholis, nullus talem ex verbis earum sententiarum illationem fecit, qualem censores ex propositione prædicta extorquere contendunt. Quanquam sint modestiora huius propositionis, quàm illorum decretorum verba. In ipsis enim decretis est aperta assertio veræ idolatriæ. In propositione autem est nuda relatio reputationis seu declarationis contentæ in illis decretis. Qua igitur ratione durius aduersus hanc propositionem, quàm aduersus exemplar à quo fideliter sumpta est agere liceat, proborum esto iudicium.

SECVN-

SECVNDO occurrit Samuëlis prophetæ sententia[a] *in decretis ipsis relata, de scelere idolatriæ ex inobedientia aduersus diuinum præceptum. Et quanquam in translatione latina adiecta sit dictio, quasi, in hunc modum, Et quasi scelus idolatriæ est non acquiescere: canonum tamen prædictorum assertio est simpliciter de idolatria, vt etiam ea Samuëlis sententia in d. c. si qui sunt, absque illa dictione, quasi, referatur. Gregorium enim canonis illius authorem minimè latebat in Hebræis exemplaribus (ad quæ præcipuè recurrēdum est) absolutam idolatriæ assertionem non adiecta dictione, quasi, contineri: insuper & in græca septuaginta interpretum translatione nullam esse dictionis illius adiectionem: præterea & dictionem illam in sacris scripturis veritatem interdum citra vllam improprietatis notam designare: vt in sacro diui Iohannis euangelio, Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre. idque frequenter in iurisprudentia receptum est. Hæc autem non ideo dicuntur, vt de strictè & propriissimè sumpta idolatria propositio prædicta intelligenda sit: sed ea tātum occasione dicta sunt, ne dictionis illius prætextu in latiorem cauillandi aut calumniandi licentiam quisquam intumescat. Accedit ad hæc alia Dei optimi max. per Zachariam sententia. O pastor & idolum derelinquens gregem.*[b] *Quæ verba, & si de Antichristo ad litteram sonent, tamen etiam de peruersis quoque & inanibus sacerdotibus intelliguntur, qui propter eorum inanitatem & inutilitatem rectè nominantur idola, vt ibi declarat vir sanctitate & eruditione amplissimus Dionysius Carthusianus, & Rober. OlKot. super lib. Sapien. c. 14. lec. 162. & glo. Ezech. 8. c. in verbo, Et ingressus vidi.*

a 1. Reg. 15.

b Zacha. 11.

TERTIO accedit Pauli apostoli sententia. Omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus.[a] *Hæc siquidem adiectio (quod est idolorum seruitus) non solùm intelligitur de auaro, sed etiam de fornicatore, vt declarat glo. Ezech. 6. c. super verbo, Et disperdam excelsa vestra &c. dicens illa verba (quod est idolorum seruitus) non solùm ad auariciam referri, sed etiã ad alia vitia, quibus aliquis principaliter insordescit. vnde eleganter addit, quod idolum cuiuslibet peccatoris est vitium, cui principaliter mancipatur. Itaque de illis qui gulæ indulgent, ait Paulus. Quorum deus venter est,*[b] *&c. vt etiam declarat glo. Eze. 8. c. super verbo, Vbi erat statutum idolum &c. & alia glo. quo ad eos qui captiuitati sunt vitio superbiæ, ambitionis, aut luxuriæ, Deutero. 12. c. super verbo, Subuertite omnia loca, &c. Quæ omnia præclaro beati Cypriani episcopi & martyris testimonio cõprobantur lib. 4. Epistolarum, epistola. 2. ad Antonianum, in hæc verba. Nec sibi blandiantur, quòd se dicant idolatris non communicare, cùm sint apud illos adulteri & fraudatores, qui tenentur idolatriæ crimine, secundum apostolum dicentem, Quia omnis fornicator &c. Et paulopòst subiungit. Excusari non possunt ab idolatriæ crimine, cùm constet de apostolica sententia, mæchos & fraudatores quibus cõmunicant, idolatras esse. Extat simile beati Hierony. testimonium in epistola ad Heliodorum, vbi ex prædicta apostoli sententia non modo auariciam, sed & libidinem idolatriam esse comprobat.*

QVARTO accedit alia insignis doctrina glo. 1. Machab. 2. super verbo, Et vt cessauit &c. quæ explicans illa verba, Accessit quidã iudæus in omnium oculis

a Ephe. 5.

b Philip. 3.

lis sacrificare idolis super aram &c. dicit quòd iudæus qui ibi coram oculis omnium sacrificabat, signat malos catholicos, qui prauis operibus & peccatorum euidentia scandalizant proximos suos. In eo quippe idolis sacrificare probantur, quo principalibus vitijs captiuitati esse manifestantur, vt in illa glo. dicitur.

QVINTO accedit, quòd prædicta idolatriæ acceptio & significatio pro vitijs quibus quis valde insordescit, vt frequens est in ipso sacrorum bibliorum textu & glo. ita etiam apud catholicos scriptores est vsitata: vt de auaricia ait Augustinus. Qui sciens ab auaricia, id est, idolatria non recesserit.[c] *cui accedit similis Gregorij sententia.*[d] *Et de luxuria ait Hieronymus. Per vitia luxuriæ maxime dæmones coluntur.*[e] *Et Isidorus, posteaquàm dixit oblectamenta fabularum mentem ad libidinum incentiua prouocare, subiungit, hanc sententiam, Non enim thura solùm offerendo dæmonibus immolatur, sed etiam eorum dicta, ad libidinem scilicet excitantia, libentius capiendo.*[f] *Vnde quanquam generaliter verum est, quòd vitium cui quis principaliter insordescit, dicatur idolum talis peccatoris insordescentis, vt supra dictum est: tamen peculiarius & singularius in vitio fornicationis hoc procedit, ex prædicta beati Hieronymi sententia. Nullum siquidem peccatum intantùm dehonestat & coinquinat corpus vt illud, nec ita carnali concupiscentiæ obstrictam & obnoxiam animam facit, nec ita mentem captiuat & submergit, vt declarat glo. 1. Cor. 6. super verbo, Omne enim peccatum &c. ideóque magis indignum & ineptum secundum quid reddit hominem ad sacramentum Eucharistiæ: vt relata alia Hieronymi sententia de-*

c c. quæro. vi. quest. i. & c. idolatria xxviii. q. i.
d c. cũ omnis. i. q. i.
e c. in eo fornicator 32. q. iiii.
f c. Ideo. 37. di.

a c.qui scelerate in 3.q.de cons.d.ii.

clarat Ioan.à tur.cre. [a] Cùm itaque in hac facti specie hoc idolatriæ vocabulo vsi sunt sanctitate & doctrina insignes summi ecclesiæ pastores Gregorius, Vrbanus.2. & Alexander.2.eóque prius sermone locuti erant Samuël, Zacharias, Paulus, Augustinus, Hieronymus, Cyprianus, Isidorus, sacrorum quoque bibliorum glossator, & Alphonsus episcopus: quis non videt sermonem hunc non esse meum, sed prophetarum, apostolorum, martyrum, & confessorum? imo magis dei esse sermonem, cuius spiritu locuti sunt sancti, testante in epistola. 2. apostolorum principe, qui Iesum christum dicentem audierat, Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. An igitur non licet eorum sermonem imitari, per quos locutus est Deus? quando & iurisprudentia receptum est, eos qui legis sermonem imitantur (etiam si impropriè lex loquatur) non esse redarguendos.

SEXTO considerandum est, quòd sicut hoc sacramentum est excellentissimum, in quo per excellentissimam oblationem dignè factam, & excellentissimi beneficij gratiam deus excellentissimè est honorandus: [b] ita si indignè celebretur & sumatur, grauissimè peccatur contra diuini cultus reuerentiam, & honoris deo debiti excellentiam: tantiq; sacramenti dignitas contemnitur. Indignè siquidem manducans, reus est corporis & sanguinis domini. [c] Et quantùm in se est, cõculcat filium dei, [d] & sanguinem testamenti pollutum ducit. Quæ res magnam profectò idolatriæ partem continet, qua aduersus dei cultum & honorem pessimè delinquitur.

b c.nihil in sacrificijs de con.di.ij.

c 1.Cor.11.

d Heb.10.

SEPTIMO consideranda est conformitas effectus idolatriæ, cum effectu indignæ administrationis & sum-

sumptionis huius sacramenti. Ut enim idolorum cultus est omnino inanis & infructuosus, quemadmodum latè describitur Baruch. 6. c. iuncta glo. in ver. falsa. & quandam cum dæmone societatem inducit dicente apostolo, Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.[c] & damnationem æternam affert: ita sacrosanctum hoc sacramentum est ipsi indignè administranti & indignè sumenti inane & infructuosum:[f] & per indignam administrationem & indignam sumptionē inducitur coniunctio cum dæmone,[g] & æterna damnatio, quia iudicium sibi manducat & bibit.[h]

c 1. Cor. 10.

f d. c. qui scelarate viuunt de con. di. ij. & lib. 4. senten. di. ix.

g c. sicut Iudas de con. di. ij.

h 1. Cor. 11.

EX præmissis itaque apertissimè liquet, quantis rationibus acceptio & significatio idolatriæ in propositione prædicta iure subsistat, nedum ex simplici sanctorum patrum auctoritate, qui eo loquendi modo passim vtuntur, & propter inobedientiam, ex prænarrata Samuëlis sententia, de qua supra versi secundo, & etiam propter inanitatem & inutilitatem indignorum sacerdotum, ex sententia diuina apud Zacha. vt eodem vers. & propter insordescentiam & mancipationem in peccato, ex sententia Pauli de qua supra vers. 3. accedit: & propter euidentiam peccati scandalisantis, vt supra vers. 4. accedit: & propter fœdiorem dehonestationem & submersionem per luxuriam, vt supra vers. 5. accedit: & propter sacrilegam irreuerentiam diuini cultus & honoris in tanto sacramento, vt vers. 6. considerandum: & propter conformitatem pessimorum effectuum, vt vers. proximè præcedenti. Quæ omnia in ipsa notoriorum concubinariorum celebratione de qua in dicta propositione agitur apertissimè concurrunt, quantùm ad eos qui tam indignè celebrant. Quoad eos

verò qui talium missam scienter audiunt, concurrunt duæ ex prænarratis rationibus: scilicet ex scelere inobedientiæ, & ex conformitate effectus infructuosi & inanis, stante apud audientes certa & indubitabili scientia notorietatis facti, & prohibitionis iuris. Quanquã nonnulli fortè existiment, illam canonum antiquorum prohibitionem, quoad audientes missam, & sacramenta suscipientes, correctam esse per quandam cõcilij Basiliensis constitutionem in titul. De excommunicatis non vitandis. Quibus salua semper ecclesiæ determinatione responderi potest, quòd ex verbis & sententia illius constitutionis, & ex titulo sub quo sita est, De excommunicatis certo modo non vitandis, ostenditur eam constitutionem eò tendere, vt generalem iuris prohibitionem audiendi diuina, & suscipiendi sacramenta ab excommunicatis moderetur & limitet: non autem vt corrigat speciales canonum decisiones, quibus singulari quadam ratione, ad fortiùs cohibendam sacramentorum irreuerentiam, & tollenda scandala in aliquo multùm detestando, notorio, & perseueranti flagitio interdicitur & certo modo prohibetur, notoriorũ, flagitiosorum, & scandalisantium missam scienter audire, aut ab eis sacramenta suscipere. Verùm vt de hac re apertius agatur, præmittendum, & pro constanti apud omnes habendum est, propositionem prædictam, sicut canonum prædictorum verbis apertè conformis est, & ad ipsos canones expressè relata, ita non aliter à me intellecta est, quàm canones illi à conditoribus & optimis quibuscunque interpretibus intellecti sunt: nullíque de hac mea assertione dubitare licet, quandoquidem tota iuris prudentia receptum est, verba constitutionis aut propositionis relatæ ad aliam constitutionem

tionem, intelligenda atque eo sensu interpretanda esse, quo in ipsa constitutione ad quam fit relatio intelliguntur. [a] *Ideóque glossas secundum iura quæ allegant intelligendas esse, docent iuris interpretes. Itaque rectè põderata dictione scienter, quæ in dicta propositione exprimitur, vt & in canonibus prædictis expressa est, constat eam propositionem de illis tantùm intelligi, qui de prohibitione in canonibus ipsis cõtenta, eorundemq́; canonum authoritate instructi, & de notorio sacerdotis concubinatu certi, non obstante illa iuris & facti noticia, missã talis sacerdotis audiunt. Quis enim dubitare potest, eos qui sic aduersus ecclesiasticam prohibitionem, cui parendum esse non ignorant, scienter agunt, facere contra conscientiam, & sic edificare ad gehennam,* [b] *& consequenter talem missæ auditionem, in qua peccant, esse eis non modò infructuosam & inanem, sed grauißimo quoque sceleri imputandam? quod scelus in canonibus prædictis idolatria nuncupatur. De illis autem qui canones prædictos ignorant, aut non planè intelligunt, seu de eorum vigore & authoritate non satis instructi sunt, aut de illis qui non habent certam & indubitatam scientiam facti super quo fundatur prohibitio, nullatenus intelligi potest propositio prædicta, resistente (vt dixi) dictione, scienter. Illi quoque, qui & si sciãt prohibitionem in dictis canonibus contentam, tamen existimant esse abrogatam per constitutionem concilij Basiliensis, aut dubitant super illius constitutionis interpretatione, non dicuntur habere certam & indubitatam scientiam prohibitionis efficacis, quando existimant vel opinantur eã non subsistere, aut efficacem non esse, & consequenter nec de talibus intelligi potest propositio prædicta. Verùm ne ea abrogationis*

seu

a Auten. de fil. an. dota. iust. na. versi. tertia verò constitutione, col. iij. & glo. cle. statutum. in ver. consuetudine de cler.

b C. literas de resti. spoli. c. per tuas ij. de. simo. c. inquisitioni de sen exco.

ſeu correctionis opinio, ſi quos forte ſequaces habeat, ſub incerto vagari & fluctuare videatur, admoneri ſe & interrogari ab ipſis canonum conditoribus intelligant, in qua poteſtate, quáue authoritate aut ratione eam opinionem defendant, quando nulla diuini aut humani iuris conſtitutione, deciſione, aut interpretatione firmatur. Quòd enim ex præfata Baſilienſis concilij conſtitutione, quæ ſub titulo, De excommunicatis certo modo non vitandis, ſita eſt, canonum prædictorum correctionem aut abrogationem inferri aut probari exiſtimant, tam eſt à vera iuris interpretatione alienum, vt qui vel mediocrem Iuriſprudentiæ operam nauarunt, id nullo negocio deprehendant & iudicent. Extat enim certiſſima iuris regula, quòd quanquam per legem poſteriorem directè priori contrariam inducatur prioris illius legis abrogatio in eo quod apertè repugnat, etiam ſi de ea non ſit expreſſè facta mentio: [a] *quoties tamen poſterior non eſt euidenter & apertiſſimè priori contraria, ſed ex aliqua verborum generalitate, aut alia ambiguitate ei aduerſari videtur, non ſic intelligenda aut interpretanda eſt poſterior, vt anterioris legis correctionem vel abrogationem inducat, ſed iuſta interpretatione, quæ non ineptam aut inanem poſterioris ſententiam citra prioris correctionem contineat. Leges legibus concordare oportet, vt eccleſiaſticis & ciuilibus conſtitutionibus ſæpe deciſum & declaratum eſſe conſtat:* [b] *etiam ſi in poſteriori lege adiecta eſſet generalis clauſula, non obſtante aliqua lege:* [c] *idq́; ſumma ratione & æquitate: quandoquidem ſublata alioqui hac benignè interpretandi neceſſitate, in tanta ſermonum & humanorum affectuum varietate, diuina ſimul & humana*

a c. j. iuncta. glo. in ver. priorem de conſti. lib. vj.

b c. cum expediat. de elect. lib vj. iuncta glo. c. cupiẽtes in ver. petere. eo. ti. & l. vni. C. de inoffici. doti. & auten. de admi. offi. verſi. quoniam dum nihil, iuncta. glo. vlti. col. iij. & l. præcipimus. in fi. C. de appel. & glo. auten. qui. mona. effi. ſin. §. tribus, in ver. deſtruere. col. vij.

c Glo. auten. de here. ab inteſta. in princi. in ver. vacantibus col. ix.

mana iura turbari, confundi, & velut proprijs inuicem vnguibus lacerari censerentur: & sacrosanctum Iesu Christi euangelium, si ad diuersas eius narrationes benigna non accederet interpretatio, suæ non parum fidei & dignitati derogare existimaretur, vt libris de consensu euangelistarum copiose refert Augustinus, & ex amplissimo decretorum volumine passim omnibus liquet, cuius titulus est, De canonum discordantium concordia. Atqui in illa Basiliensis concilij constitutione tria concurrere certum est. Primo quòd nihil in ea de prædictis canonibus, eorúmue correctione aut derogatione expressum est. Secundò quòd nullam aduersus eos necessariam contrarietatis aut contradictionis illationem continet. Tertiò quòd citra eorundem canonum correctionem congruam habet sententiam & effectum. Primum ex ipsius constitutionis lectione constat. Secundum non modo Iurisprudentia, sed & Dialectica docet. In prædictis siquidem canonibus est oratio negatiua huius tenoris. Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere &c. Et in alio canone est æquipollens oratio huius tenoris. Si qui verò in peccato fornicationis perseuerare maluerint, nullus præsumat eorum audire officium. [d] *In illa autem concilij Basiliensis constitutione est alia oratio negatiua huius tenoris. Nemo deinceps prætextu cuiuscunque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ, à iure vel ab homine generaliter promulgatæ, à cuiusquam communione, etiam in sacramentorum administratione vel receptione, abstinere teneatur, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi contra personam certam, aut collegium certum, specialiter & expresse fuerit à iudice publicata &*

d c. si qui sunt presbyteri. 81. di.

 denunciata

denunciata, aut notoriè in excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe &c. In hac oratione etiam ſi affirmatiuè exponatur, quòd omnibus communicare liceat cum eis, in quos generaliter à iure vel ab homine promulgata eſt excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti ſententia, niſi &c. prædicatum vel loco prædicati (ſi communi dialecticorum more loquamur) eſt hoc totum, non teneri abſtinere à communione eorum. vel, communicare licere cum eis, in quos generaliter à iure vel ab homine excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententia promulgata eſt, niſi &c. In priori autem oratione, prædicatum vel loco prædicati eſt, audire miſſam presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere. Hæc prædicata non parum inter ſe differre diuerſa vtriuſque vocabula manifeſtant. Eas igitur orationes, quarum prædicata diuerſa ſunt, directè contrarias aut contradictorias non eſſe ex Dialecticis regulis notum eſt. Quòd ſi ex aduerſo dicatur, illam Baſilienſis concilij conſtitutionem, & ſi expreſſè de audienda presbyterorum concubinariorum miſſa non loquatur, tamen quia vniuerſaliter de quacunque excommunicationis, aut ſuſpenſionis ſententia in genere loquitur, perinde eſſe ex ipſa ſermonis vniuerſalis natura, ac ſi ſingulos excommunicationis, aut ſuſpenſionis caſus particulariter expreſſiſſet: ideóque orationum iam dictarum prædicata, quanquam ſecundum explicitam verborum expreſſionem diuerſa videantur, tamen ſecundum implicitam ſermonis vniuerſalis vim eadem cenſeri, & conſequenter verè contrarias exiſtere: cùm generalis permiſſio quæ eſt in poſteriori, contraria cenſeatur ſpeciali prohibitioni quæ eſt in priori. Animaduertant quæſo vniuerſalium

lium aut generalium sermonum naturam in moralibus sæpissime restringi, & pro subiectæ materiæ, seu rerum de quibus agitur qualitate limitari: vt permultis diuinarum & humanarum legum sententijs, definitionibus, & exemplis, quæ hoc loco curiosius referre non expedit, studiosis omnibus abunde cognitum est. Animaduertant insuper, quod inter casus quibus vniuersalis aut generalis sermonis naturam restringi in Iurisprudentia receptum est, vnus est: quando ex sermonis generalitate vniuersaliter accepta, induceretur legis anterioris correctio. Tũc enim vbi de correctione aut derogatione nulla specialis & expressa fit mentio, nec est directa & euidens posterioris legis ad priorem contrarietas, decretum est generalem sermonem eos tantum casus comprehendere, qui citra prioris legis correctionem ad ipsam generalitatem congrue adaptari possint: sicq; eam generalitatem interpretandam esse, vt euitetur legis anterioris correctio, vt in superius citato. c. cum expediat, aliisque prææallegatis locis iustissime simul & prudentissime decisum est. Animaduertant vlterius ad tertium, quod hoc loco concurrere dictum est: scilicet quod absque canonum prædictorum correctione, aut derogatione illa concilij Basiliensis constitutio congruam habet sententiam & effectum. Quo autem apertius id vel surdis etiam & cæcis illucescat, intelligant diuersas olim, quantum ad communicationis prohibitionem attinet, fuisse constitutionis. Primo enim ab apostolis, indeq; à sacris ecclesiæ concilijs & pontificibus maximis generalis emanauit constitutio, generaliter prohibens communicare cum excommunicatis, & similem excommunicationis sententiam in eos qui scienter communicarent statuens.[a] Accesserunt

[a] c sicut apostoli. cũ tribus sequentibus: & c. si quid fratris xj. q. iii. c. cum desideres. de sen. exco.

ſerunt & aliæ particulares quædam conſtitutiones, certam communicationis ſpeciem ob grauiorem alicuius criminis deteſtationem prohibentes cum eis, qui in tali crimine & ſcandalo perſeuerant, nulla in eiſdem conſtitutionibus excommunicationis aut ſuſpenſionis facta mentione. Huiuſmodi eſt conſtitutio, ordinem aut conſecrationem ſuſcipere vetans ab epiſcopis, qui fuere per ſimoniam ordinati. Eius conſtitutionis verba hæc ſunt. Si qui à ſimoniacis non ſimoniacè ordinati ſunt, ſiquidem probare potuerunt, ſe cùm ordinarentur neſciſſe eos ſimoniacos eſſe, & quòd tunc pro catholicis habebantur in eccleſia, talium ordinationes miſericorditer ſubſtinemus, ſi tamen eos laudabilis vita commendat. Qui verò ſcienter ſe à ſimoniacis conſecrari, imo execrari permiſerint, eorum conſecrationem omnino irritam decernimus.[a] *Hanc conſtitutionem per concilium Baſilienſe abrogatam eſſe, nemo citra nimiam iuris ignorantiam dixerit: quanquam quoad irritationis pœnam, nequaquam facti notorietatem apud multos, ſed eius tantùm qui ordinatur ſcientiam exigat in hoc crimine: vt ex illa inter ſcientem & ignorantem diſtinctione apertè colligitur, iuncta communi interpretum declaratione de ſpeciali ratione in ſimoniaco etiam occulto.*[b] *Acceſſit & alia ſpecialis conſtitutio, notoriorum concubinariorum miſſam ſcienter audire prohibens.*[c] *Notorietatis autem huius declaratio aliȷs conſtitutionibus apertius explicatur: quotiens videlicet per ſententiam aut confeſſionem in iudicio factam, aut per euidentiam quæ tergiuerſatione aliqua celari non poßit, de concubinatu conſtat.*[d] *Itaque ex his planè colligitur, quòd generalis illa Baſilienſis conſtitutio (quæ tam ex titulo ſub quo ſita eſt, quàm*

a c. ſi qui à ſimoniacis. j.q.j.

b glo. in. d. c. ſi qui. & c. reperiuntur ea. q. & glo. d c. prȩter. in ver. officium. 32. di. & glo. c. vlti. in ver. propoſiti. de coha. cle. & mulie.

c id c. nullus. & c. præter. 32. di. iuncto c. veſtra. ibi, nec habent operis euidentiã. & c. vlti. ibi, niſi peccatum huiuſmodi ſit notorium. de cohabi. cle. & mulie.

d c. vlti. de coha. cle. & meri.

quàm ex verbis in eadem expreßis de illis tantùm loquitur, qui prætextu sententiæ excõmunicationis, suspensionis, aut interdicti generaliter promulgatæ vitandi erant) ad eorum tantum canonum declarationem & interpretationem pertinet, quibus generaliter prohibitum erat communicare cum excommunicatis: vt videlicet procedant quoad eos, in quos specialiter sententia illa esset à iudice denunciata & publicata. Et is sensus aptißimè congruit prædictæ constitutioni Basiliensi, citra vllam aliarum specialium constitutionum correctionem aut derogationem. Idq; vel ex eo manifestius apparet, quòd constitutiones illæ speciales sicut specialem continent prohibitionem, ita specialem habent prohibitionis rationem: vt quoad simoniacos in ordine declaratur, propter detestationem criminis, & scandala inde procedentia in ecclesia:[e] ac etiam propter eorum impœnitentiam, cùm in ordine simoniacè accepto perseuerent. [f] Et quoad notorios concubinarios celebrantes est similis ratio detestationis criminis, & scandali, & impœnitentiæ, quandiu in concubinatu perseuerant, vt ex ijs quæ suprà relata sunt colligere licet. versi. quinto. accedit, & versi. sexto. considerandum est, & vers. septimo. consideranda. Perniciosa igitur, & ab omni Iurisprudẽtiæ doctrina aliena est eorum interpretatio, qui ex generali illa Basiliensi constitutione huius specialis constitutionis abrogationem inferre conantur. Sed quorsum tanti in re manifesta sermones? quando & in eadem concilij Basiliensis constitutione expreßè adiecta est notorietatis exceptio. Quisquis enim eam constitutionem, quæ in vigesima eius concilij seßione sita est, perlegerit, huius exceptionis lucem effugere non potest: cuius hæc sunt

e c.quibusdam. j. q. j. c. tanta, iuncta glo. de simo. & glo. in d. c. si qui à simoniacis, in glo. j. & vlti. j. q. j.
f glo. c. reperiuntur, in ver. anathematis, in fi. j. q. i.

verba. Aut si aliquem ita notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quòd nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari: à communione illius abstineri volumus iuxta canonicas sanctiones. quo casu nullam specialem denunciationem aut publicationem exigit. Et sic tantùm abest vt illa constitutio propositioni prædictæ vllatenus aduersetur (quæ non nisi de scienter audientibus missam notoriorum concubinariorum loquitur) vt magis illam in suo notorietatis casu corroboret & confirmet: vbi cum notoria concubinatus perseuerantia, notoriam simul criminis inexcusabilitatem, ac prænarratam canonum censuram & prohibitionem adesse dubium non est. Cui & alia ex synodali harum prouinciarũ constitutione accedit censura, quæ dominicis diebus inter missarum solemnia è suggestu palam (vt dictum est) enunciatur. Idipsum & alia eiusdem Basiliensis cõstitutionis verba demonstrant, dum in eius exordio exprimitur causa propter quam id constituebatur, scilicet ad vitandum scandala & multa pericula, & subueniendum conscientijs timoratis &c. Unde euidenter infertur, eam constitutionem non nisi ad generalis alicuius prohibitionis moderationem pertinere: ex cuius indistincta & indeterminata obligatione seu obseruatione inducerentur scandala & pericula. Generalis siquidem constitutio aut dispositio secundum causam finalem (maximè quando expreßè adiecta est) intelligitur & interpretatur. [a] *Atqui ex obligatione & obseruatione prohibitionis iam dictæ, scienter audiendi missam notoriorum concubinariorum, tantùm abest vllum induci scandalum, aut conscientiarum periculum, vt certißimè*

[a] l. ita tamen. in prin. ff. de admi. tu. l. milites agrum. in princi. ff. de re mili. l. cum pater §. dulcissimis ff. de leg. 2

tißimè ex contrario, scilicet ex non obseruatione aut transgreßione multa induci scandala, & conscientiarum pericula ac detrimenta grauißima infœlix experientia manifestet: nedum ex eo, quòd notoriam & inuerecundam sacerdotalis concubinatus perseuerantiam vniuerso penè populo scandalum facere, & simplicium conscientias turbare notum est, sed etiam quòd ex eorum sacerdotum, qui in concubinatu notorio perseuerant, celebratione, maxima sacrosancto Eucharistiæ sacramento fit iniuria & irreuerentia, vt suprà relatum est, vers. quinto, accedit. & vers. sexto, cōsiderandum est. Quæ iniuria & si principalius à celebrante inferatur, ab eis quoquè qui tam iniuriosæ & irreuerenti celebrationi scienter aßistunt, concomitanter inferri, & quodam approbationis genere dilatari censetur: necnon manifestè celebrantium peccato blandiri, notoriámque eorum incontinentiam honorare videntur: indéq; occasionem illis præbere diutius in concubinatu & scandalo persistendi, sacramentique dignitatem & reuerentiam contemnendi. Tunc enim culpam grauius serpere, & latius extendi certum est, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur: [b] *cùm tamen à grauißimis istis sceleribus & scandalis per communicationis & aßistentiæ denegationem, & honorabilium consortiorum priuationem notorij essent reuocandi. Inter causas siquidem, propter quas ab eorum mißis abstinendum sacri canones decreuerunt, hæc singulariter exprimitur, vt peccandi licentiam cohiberent, & ad dignæ pœnitentiæ lamenta reuocarent:* [c] *hoc est, vt dum ex sua illa incontinentia non modò sibi sacris interdictum, sed ab eorum sacrificiis omnes abstinere viderint: in quibus propriam tantum gloriam*

b c. nemo. 83. dist.

a d. c. præter §. verū, versi. attamen prædecessores nostri. 32. di.

quærunt, aut mercedem aucupantur humanam: ac suam indignitatem argui, exprobrari, & condemnari intellexerint, confundantur, támque indignè & irreligiosè celebrare desinant, & à sacrilega illa in Deum & sacramentum iniuria temperent, à tantæ quoquè indignitatis causa, scilicet concubinatus crimine, resipiscant. Prohibitionem igitur in canonibus prædictis contentam, ex Deo esse planum est, quæ ad repellendam diuini cultus in tanto sacramento irreuerentiam spectat, & ad salutarem publicè peccantium erubescentiam & emendationem prospicit. Ea siquidem erubescentia ad pœnitentiam flectit, & remissionis partem habet, [a] atque in gratiam tandem & gloriam deducit. [b] Verùm si qui aliter sibi sapere existimant, cogitent obsecro, an suæ tantum prudentiæ in canonum interpretatione innitendum sit, vt quæ sibi videntur, patrum decretis, & iurisprudentiæ præceptis anteponenda censeant: [c] aut in ecclesiasticis iudicijs suo magis sensui, quàm canonum authoritati deferendum putent. [d] Cogitent insuper, an correctoria illa eorum interpretatio ex Deo sit, an verò à seipsis loquantur. Omnium siquidem interpretum auribus vox illa prophetica aßiduè resonare debet, Visionem cordis sui loquuntur, non de ore domini. Non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. [e] Quicquid autem de hac aliísque interpretationibus ecclesia sentit, senserítue, decreuerit, aut statuerit, ego in eius sententiam manibus & pedibus eo, & perpetuò iturum profiteor. Itaquè plura hoc loco simul adesse constat, quæ optimos quosque viros ad benignam propositionis antedictæ interpretationem singulariter admonent. Primò, verborum temperamentum & modestia. Non enim continet illa

propositio

a c. quem pœnitet. de pœ. di. i.
b eccle. iiij.
c c. ne imitaris de consti.
d c. i. de consti.
e Hiere. 23.

propositio absolutam idolatriæ assertionem, sed relationem declarationis, & reputationis in sacris decretis assertæ. Secundò expressa illorum decretorum citatio, quæ euidenter insinuat verba propositionis intelligenda esse, prout in in locis & decretis ibi citatis intelliguntur, vt suprà dictum est. Quin etiam si canones expreßè citati non essent, interpretanda tamen, & intelligenda semper esset propositio prædicta in eo sensu, qui canonibus de ea re tractantibus consonaret, vt Innocentij tertij pontificis maximi sanctißima constitutione decisum est. [f] *Tertiò ponderandum est, quòd paulopost dictam propositionem adiecta est alia clausula ad eam propositionem, relata in hæc verba.* Et induisent en eux & aux autres vne espece d'idolatrie comme dit est &c. *Quæ adiectio manifestè declarat, propositionem illam non de strictè sumpta idolatria, sed de aliqua eius specie intelligi: speciei significatione sumpta, vt subiectæ materiæ ratio, & sermonis vulgaris licentia postulat. Dicentis autem & scribentis intentionem, ex his, quæ in præcedentibus aut subsequentibus adiecta sunt, intelligi: & verba, secundum ea quæ in præcedentibus aut sequentibus dicuntur, interpretanda esse omnis philosophia censet.* [g] *Quartò ad manifestandum illius propositionis sensum accedit, quòd ex toto libelli contextu, & subiectæ materiæ argumento manifestum est, non eò tendere dicentis intentionem, vt de idolatria aut sacramentis disputaret, sed vt regiæ potestatis & iurisdictionis iustitiam comprobaret: idq; maximè ex necessaria delictorum punitione, & impunitatis pernicie, notoriórumque scandalorum inde procedentium frequentia demonstraret, atque ideò scandala ipsa gra-*

f c.ad nostram. iij. de iur.iuran.

g c.egressus.27.q.ij. c.apostolus.32.q. vij. l.vtrum in princi.ff. de pe. hære.l. qui filiabus. in princi.& l. si seruus plurium. in fi. ff.de lega.j.

uißima detestando enarraret. Atqui diuino & humano iure receptum est, vt hyperbolico sermone crimina detestari & exaggerare liceat: cuiusmodi est quod Paulus dicit, Eum qui suorum curam non habet, fidem negare, & infideli deteriorem esse: [a] & ea sanctorum patrum sententia, qua simoniam hæresim nuncupant: [b] & simoniacos esse primos, & præcipuos hæreticos: & omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputari. [c] Et Dauid carnales homines iumentis comparat: [d] Petrus irrationabilia pecora nuncupat: [e] idipsum & Iudas in epistola canonica, muta animalia, nubes sine aqua, arbores infructuosas, bis mortuas, erradicatas appellat. Itaque propter immensam peccatorum, & effectuum inde prouenientium enormitatem, nulla ad perfectam detestationem verba sufficere copiosè declarat Diony. Carthu. in summa vitiorum ac virtutum, arti. 4. vsque ad arti. 14. inclusiuè: adeo vt multis in eodem arti. 14. adductis rationibus & authoritatibus concludat, quòd nemo in vita præsenti peccati enormitatem perfectè intelligere & exponere valeat. Quintò ad hanc detestandi & execrandi rationem accedit, quòd non nisi optimo iusticiæ zelo dicta & scripta sunt omnia. Zeli autem habendam esse rationem ad rectè iudicandum aut interpretandum multis sanctorum patrum decretis cautum est. [f] Nec est quòd zeli indiscretionem in proposito opponant: quando & nimia scandalorum frequentia vrgebat, & prophetæ, apostoli, doctores, & valentißimi interpretes non dißimili zelo idolatriam nuncuparunt. Ponderanda insuper est dictio, scienter, in eadem propositione expressa: ex qua manifestè declaratur propositionem intelligi, & dicentis

a 1. Thi. nōt. 5.
b c. qui studet. c. quicunque. c. cū liqueat. j. q. j.
c c. patet. j. q. vij.
d Psal. 48.
e 2. Pet. 2.
f c. legi. Siromasten & c. occidit. 23. q. 8. & c. sane. j. iūcta. glo. 24. q. 2. & c. cum voluntate. §. vlti. de sen. exco.

dicentis mentem esse de his, qui habent scientiam facti & iuris, quia videlicet sciunt factum concubinatus esse notorium: & sciunt, quod ecclesiastica constitutione prohibitum est audire missam talium notoriorum concubinariorum, vt suprà latius declaratum est. Et sic intelligit Alphonsus episcopus Abulensis in præallegato libro contra concubinarios conclu. iij. Quòd autem in eadem propositione subiungitur, Etiam si per superiores tolerentur &c. sanum etiam & manifestum habet intellectum ex decisione c. vestra. vers. sine dubitatione. de cohab. cleri. & muli. vbi verbum tolerantur expressè limitatur & restringitur per hæc verba, Nec habeat operis euidentiam: vt etiam in prænarrata concilij Basiliensis constitutione eadem notorietatis exceptio exprimitur, vt suprà dictum est. Et quia hic punctus de tolerantia latè & clarissimè explicatur, declarando quid sit tolerari à superioribus, & quid sit tolerari ab ecclesia, per eundem Alphon. in dicto lib. concl. 4. non est de hac re fusius dicendum. Existimo enim eiusdem beati Alphon. egregia & opulentissima in vtrunque testamentum commentaria & opuscula non esse viris studiosis incognita.

SECVNDO in eum locum quo continentur hæc verba. La vie impudique des personnes ecclesiastiques constituées en l'ordre de prebstrise contient prophanation, abiection, & deshonoration des saincts sacrements, qu'est vne espece de scisme & diuision en leglise, d'autant que par icelle vie impudique ilz se separent de l'unite de l'eglise. *Aiunt, hæc propositio quoad vtranque sui*

partem falsa est & hæretica, hæresi vuicleuistarum & Hußitarum conformis, in superioribus Constantiensi, & Basiliensi damnata concilijs. Bona omnium venia respondeo, nullum vuicleuistarum aut Hußitarum errorem in hac propositione explicitè vel implicitè contineri, aut probabili consequentia inferri. Quanquam enim inter illorum errores vnus fuerit, quòd peccator aliqua sorde maculatus nullo modo est de ecclesia: huic tamen errori tantùm abest vt vnquam consenserim, aut facto, dicto, vel scripto assentire cogitarim, vt in omnibus & per omnia ecclésiæ determinationem firmißimè teneam, & per Dei gratiam perpetuò tenebo: quam de hac re talem existimo, quòd licet fideles sorde peccatorum maculati, non pertineant ad plenam & perfectam ecclesiæ vnitatem, quæ est per fidem charitate formatam, nec secundum illam perfectam vnitatem dicuntur de ecclesia, ex beati Hieronymi sententia dicentis, Qui ergo peccator est aliqua sorde maculatus, de ecclesia Christi non potest appellari. [a] *& beati pariter Augustini dicentis, Neque enim solùm ad ecclesiam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt: sed etiam illi, qui in eius vnitate corporaliter mixti, per peßimam vitam separantur.* [b] *accedente etiam determinatione ex quinta Synodo.* [c] *Quoad imperfectam tamen vnionem, quæ in fidei informis identitate, & sacramentorum communione consistit, peccatores pertinent ad ecclesiæ vnitatem numero, non autem merito, ex eorundem patrum sententia.* [d] *Cuius distinctionis lata satis & vulgata habetur resolutio, omnium orthodoxorum consensu recepta, per Ioan. à turrecre. in summa sua de ecclesia.* [e] *Quos locos, hanc resolutionem*

a c. ecclesia Christi de pe.di.j.

b c.de illis.24. q.iij.

c c.certum.in prin. ea.q.

d in c.vnitas de cõs. d.iiij. & in c. nolite recedere.xj.q.iij.

e lib.j.c.3.4.& 5.& c.54. vsque ad c. 6. inclusiue. & in d.c. ecclesia christi .de pe. di.i.

locuple-

locupletissimè tractantes, sufficere existimo. Cùm ergo in propositione prædicta dicatur, quòd sacerdotes per impudicam vitam separant se ab vnitate ecclesiæ: hæc dictio, vnitas, hoc loco de perfecta vnitate intelligitur, prout ego verè intelligo: nulláque rectè interpretandi ratio afferri potest, quæ me aliter intellexisse suadeat. Sed & alia ratio huius separationis veritatem manifestat, eò quòd Synodali constitutione lata est in concubinarios manifestos excommunicationis sententia, quæ diebus dominicis in ecclesiis publicè nunciatur, vt notum est. Vnde non est quòd de separatione per excommunicationem dubitare liceat. [f] *Quod autem in eadem propositione dicitur, ex vita illa impudica induci quandam speciem scismatis seu diuisionis, manifestum habet sensum ex adiectione illorum verborum, speciem scismatis. Speciei enim significatione (secundum vulgaris idiomatis licentiam accepta, & secundum quod in plerisque sacræ scripturæ locis accipitur, vt 1. Thess. 5. Ab omni specie mala abstinete, & 2. ad Thim. 3. Habentes speciem pietatis.) constat quòd non de strictè sumpto scismate intelligo, de quo latè per Ioan. à tur. cre. in prædicta summa de ecclesia:* [g] *sed de diuisione & separatione quæ fit à Deo, & à perfecta vnitate ecclesiæ per peccata,* [h] *ex prophetica sententia, Peccata vestra diuiserunt inter vos & deum vestrum:* [i] *maximè autem per ea, quibus cõtra sacramenta, vnitatem ecclesiæ cum christo significantia, delinquitur, vt est sacramentum matrimonij, vt etiam in propositione adiectum est citata Pauli sententia.* [k] *Cui accedunt & similes patrum sanctiones.* [l] *Nec prætermittenda est alia beati Isidori sententia dicentis, Ex delectatione fornicaria varia gigni flagitia, quibus*

f c. Egeltrudam iii. q. iiii.

g lib. 4. c. 1.

h vt d. c. de illis. & c. certum. 24. q. iii.

i Esa. 59.

K Ephe. 5.

l c. cùm societas 27. q. ii. c. debitum. de biga. & in 4. senten. di. xxvi.

a c. non solũ xxxii. q.vii.
b in c.hoc sacramẽtum.de con.d.2.& c. cum marthæ.de celebra.miss.

regnum dei clauditur, & homo à Deo separatur: [a] insuper & sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, quod est vnitatis sacramentum ex beati Augustini sententia. [b] Contra cuius sacramenti reuerentiam, & vnitatem in eo designatam apertißimè peccant concubinarij sacerdotes, aduersus memoratam ecclesiæ prohibitionem celebrantes. [c] Ex eo insuper quòd in eadem propositione dictum est, impudicam sacerdotum vitam continere prophanationem, abiectionem, & inhonorationem sacramentorum &c. nullo probabilis consequentiæ genere inferri potest me sentire, quòd ex peruersa malorum sacerdotum vita sacramenta in se coinquinentur. Huic siquidem errori nullo vnquam modo adhæsi, aut adhærere cogitaui: quem certè scio multis patrum decretis damnatum esse, quæ per Gratianum copiosè referuntur. [d] Sed quanquam sacramenta in se non coinquinentur vt dictum est, tamen ipsi indignè administrantes (quantum in eis est) inhonorant & prophanant ac contemnunt sacramenta, quæ indignè irreuerenter & irreligiosè administrant: & inhonorandi ac contemnendi occasionem alijs prebent, vt sanctorum patrum Augustini & Gregorij sententia declarat. [e] Idipsum & beatus Paulus apertè testatur his verbis. Qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & spiritu gratiæ contumeliam fecerit [f] &c. Id quoque ex beati Thomæ doctrina clarius liquet. Peccatum (inquit) ministri pertinet ad irreuerentiam & contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte peccatoris, licet sacramenta secundum seipsa sint incontaminabilia: [g] idq́ non aliter à me intellectum esse vel ex eo certißimè constat, quòd in priore eiusdem articuli parte expreßè

c c. qui manducant. in fi.& c. qui discordat. ea.d.

d i.q.i.quasi per totam ferè quæst.

e c.Sacerdotes xlix. di.& c.quod quidam, & c.multi secularium i.q.i.& c.sic populus i.q.ii.
f Hebre.10.

g in 3.par. sum. q. lxix.ar.vi.

expreßè adiecta sunt hæc verba. Tant qu'est en eulx. *Huius distinctionis resolutionem clarißimè refert Ioan. à tur.cre.d.c. sacerdotes, & in d.c.multi.*

TERTIO in eum locum quo dicitur. Les concubinaires notoires se separent de la vertu & efficace de l'ordre sacerdotal, & de la vertu & merite du saint Sacrement de lautel &c. *Aiunt hanc propositionem esse hæreticam, & errori Pauperum de Lugduno consentientem, & in prædictis concilijs damnatam &c. Verum vt præcedentes propositiones aliter interpretari libuit quàm liceret, ita in hac à rectè interpretandi præceptis deuiasse certum est, quando has dictiones* vertu & efficace, *aliter accipiunt, quàm subiectæ materiæ ratio, præcedentiúmque orationum expreßio manifestè declarant. Siquidem in præcedenti quadam eiusdem libelli oratione ita expreßim cautum est.* Et ceux qui par leur vie & conuersation scandalisent & deshonorent leglise, encores qu'ılz portent le nom & tiltre de l'ordre & dignité ecclesiastique, & qu'ils retiennent actuellement le charactere de l'ordre ou possesion de la dignité, touteffois effectuellement ils sont exclus & separéz des merites & effectz meritoires de l'ordre &c. *Itáque cùm vna oratio secundum alia eiusdem libelli verba intelligi & interpretari debeat vt suprà dictum est, nullus citra cauillandi affectum præsumere potest, quin verba huius propositionis intelligantur de separatione à merito & effectibus meritorijs ipsius ordinis, quantùm ad eos qui impudicè & scandalosè in sacerdotali ordine conuersantur,*

vt

vt in precedenti oratione expressum erat: quódque hæ dictiones, vertu & efficace, quanquam voce sint diuersæ, tamen hoc loco in eandem significationem tendunt: ipsáq; copula, &, expositiuè ponitur pro, id est, vt in omnibus disciplinis frequenter obseruari constat. Quanquam enim per impudicam illam conuersationem & notorium concubinatum non desinant habere sacerdotalem ordinem, nec characterem & actualem potestatem celebrandi & consecrandi de facto, desinunt tamen salubriter, id est, ad ipsorum impudicorum salutarem effectum habere illam potestatem, vt ex dictis beati Aug. latè disseritur, & deciditur in c. quod quidam i.q.i. vbi notandum est quod de hac distinctione, prorsus non habendi, & perniciosè habendi, & salubriter habendi, dicitur in versi. sed tamen aliud &c. & quod deinde dicitur in vers. constat enim, ibi, sed in bonis permanet ad premium, in malis permanet ad iudicium &c. & quod posteà dicitur in vers. item dominus, ibi, non caruit sua veritate, sed effectus boni virtute, & vers. si vero cecus, ibi, sic & malus ministrat malo vera sacramenta, sed non ideò dona spiritualia, quia malis eorum meritis spiritussanctus impeditur, ne in eis quod suum est operetur. & quod dicitur in c. neque potest. cùm vita sacerdotum Eucharistiæ necessaria esse dicitur, non consecrationi sed effectui intelligendum est. Non enim effectum salutis confert ei, quem merita faciunt indignum ea. q. & c. Paulianistæ, ibi, sacramentum quidem accipiunt, virtutem verò sacramenti non consequuntur. & c. remißionem. §. si ergo. & §. sed notandum ea. q. & in 4 senten. d. xix. & Tho. in 3. parte summæ q. 64. ar. 5. & Ioan. à tur. cre. in d. c. remißionem & c. si fuerit iustus

ea. q. i.

ea.q.i. Nequaquam igitur nouum & insolitum in proposito existimare debuerunt, quòd illæ dictiones (vertu & efficace) *intelligantur de effectu salutari & meritorio, quantùm ad eos qui impudicè & sceleratè viuunt in sacerdotali ordine, prout in præallegatis locis, & alibi sæpe à sanctis patribus intelliguntur, & à me hoc in loco cum simplicitate fidei christianæ intellectæ sunt, & ab omnibus intelligi debuerunt: maximè autem, quia per notorium concubinatum ipso iure incurritur suspensio à sacerdotalis officij executione, nedum quoad se, sed etiam quod alios.* [a] *Quæ suspensio & si non omnino tollat potestatem facti, aufert tamen potestatem iuris licitè & dignè vtendi officio, seu exequendi ea quæ pertinent ad officium. Quanquam ex hoc non impediatur veritas eorum, quæ contra prohibitionem illicitè exercentur, sed salutaris effectus, quoad eos qui illicitè exequuntur, vt de hac potestatis differentia declarat Petrus de pal. in 4. senten. di. 25. q. i. citata beati Augustini sententia in d.c. quod quidam. i. q. i. Huic suspensioni adiecta est per Synodales constitutiones excommunicatio, quæ manifestius à sacramentorum communione separat, vt suprà dictum est. Vnde autem hoc, quòd interdum ea quæ fieri prohibentur, facta nihilominus tenent, latißimum certè & spinosum disputationis campum habet, qui idoneos admodum desiderat agricolas. Qua igitur ratione existimare potuerunt hanc propositionem errori Pauperum de Lugduno consentire? Illi omnem potestatem, tam ecclesiasticam quàm secularem, per quodcunque peccatum mortale amitti asserebant. Cui errori neque verba propositionis, neque dicentis intentionem conuenire, ex his quæ dicta sunt apertißimè liquet.*

a d.c. præter. 32. d. & d.c. si qui sunt presbyteri. 81. di. & c. quæsitum de coha. cle. & muli.

E Quod

Quod insuper in eadem propositione subiungitur, talibus fornicationibus violari templum Dei, & construi templum diaboli, eo tantum sensu dictum esse constat, quem in locis ibi citatis sancti patres habuerunt. Beatus enim Hieronymus ita loquitur. Per vicia luxuriæ maximè dæmones coluntur: & hoc vnum scio, quòd qui post fidem Christi fornicatur, violat templum Dei [a] &c. & idem Hieronymus in epistola ad Heliodorum sic ait. Qui membra Christi, & hostiam viuam placentem Deo cum publicarum libidinum victimis nepharia colluuione violauit &c. Et beatus Isidorus sic dicit, inter cætera septem vitia, vitium fornicationis maximum est scelus, quia per carnis immunditiam templum Dei violatur. [b] Beatus quoque Cyprianus in præfata ad Anthomanum epistola ait. Nam cum corpora nostra membra sint Christi, & singuli simus templum Dei: quisquis adulterio templum Dei violat, & qui in his peccatis voluntatem diaboli facit, dæmonijs & idolis seruit. Ex tali igitur templi Dei violatione eam idolatriæ speciem induci consequens est, de qua Paulus ait. Omnis fornicator aut immundus &c. vt supra vers. 3. accedit, declaratum est, speciei significatione iuxta subiectæ materiæ qualitatem, vt præmissum est, accepta. Itaque quod de idolatria & idolis in hac propositione dicitur, sanum & ab omni sinistræ interpretationis impostura remotum habere intellectum, ex præmissis & alijs quæ circa primam propositionem dicta sunt, manifestum est.

a c. in eo. fornicator. xxxij. q. iiij.

b c. nō solum xxxij. q. vij.

POSTREMO in eum locum quo dicitur, Et consequemment la principale excellence des ministres

ministres de l'Eglise consiste en la sainteté, à laquelle Dieu a conioint tresexcellente authoritê & puissance, telle qu'il a cogneu expediente & requise pour la disposition, conseruation, & multiplication de la sainteté en tous les ministres & membres de l'Eglise vniuerselle. *Aiunt hanc propositionem captiosam esse, & ad prædictos errores conspirantem. Sed vtinam oculo simplici animaduertere vellent (quod ex ipsa verborum serie, necnon præcedentium & sequentium contextu facile deprehendi potest) de ecclesiæ, ac ordinis & officij sacerdotalis sanctitate hanc propositionem intelligi, vt etiam in anteriori quodam eiusdem libelli articulo, vbi de notoriorum concubinatuum scandalis agitur, expreßè cautum est, in hæc verba.* Par eux qui ont estat & office de sainteté. *Quanquam enim primas excellentiæ partes tribuam sanctitati ecclesiæ & ministrorum, non ideò fundamentum & essentiam ecclesiasticæ potestatis in ministrorum sanctitate constituo, nec parem sanctitatis neceßitatem in ministris vt in ecclesia assero. Ecclesia siquidem non potest non esse sancta: ministri autem possunt non esse sancti, & sine personæ sanctitate habere actualem administrationem, & veram dispensationem sacramentorum, non tamen salutarem effectum quo ad se, qui sine sanctitate administrant, iuxta declarationem superius habitam. Absit autem vt sentiam, quòd sola sanctitas ad veram administrandi potestatem sufficiat: aut quòd ex defectu sanctitatis ministri, inducatur omnimoda priuatio potestatis. Hos enim errores damnatos esse scio, vt supra dictum est. Quod igitur dico Deum optimum maximum excellentißimam pote-*


statem sanctitati ecclesiæ & ministrorum coniunxisse, ad nullum errorem conspirat. De sanctitate enim ecclesiæ non est quòd dubitare liceat, iuxta latè declarata per Ioan. à tur. cre. in dicta summa de ecclesia lib. 1. c. 9. 10. 11. 12. & 20. Quoad ministros autem, est quædam coniunctionis distinctio inter potestatem dignè consecrandi, & hæc necessariò requirit sanctitatem: & inter potestatem simpliciter consecrandi quoad realem existentiam sacramenti, & hæc absque sanctitate ministrorum stare potest. Huius distinctionis resolutionem, citata comuni doctorum sententia, declarat idem Ioan. à tur. cre. in dicto. c. remissionem, & c. neq; enim. 1. q. 1. Itaq; ex his quæ de sanctitatis excellentia dicta sunt, nullus rectè interpretandi præceptis assentiens, in sinistræ aut impiæ cuiusquam conspirationis suspicionem moueri debet: quando frequentissima ecclesiasticæ & sacerdotalis sanctitatis diuina præcepta vbiq; resonant. Ait enim in Leuitico Deus. Sit sacerdos sanctus, quia ego sanctus sum, qui sanctifico vos.[a] & in Exodo. Sanctificabis eos, vt sacerdotio fungantur mihi.[b] & in Psal. Sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.[c] & apud Paulum. Talis enim decebat, vt esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impolutus[d] &c. Multa alia ad latiorem propositionis huius defensionem adduci possent ex varia sanctitatis acceptione, de qua in dicta summa lib. 1. c. 9. Verùm præmissa ad eam quam res exposcit lucem sufficere arbitror, salua semper ecclesiæ determinatione: cui in omnibus & per omnia perpetuò assentire protestor.

a Leuit. 21.
b Exod. 30.
c Psal. 98.
d Hebr. 7.

Apologiæ huius exemplar moribus & doctrina inſignes hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & ſacræ Theologiæ profeſſores non pauci cùm perlegiſſent, propria ſingulorum ſubſcriptione comprobarunt.



GVIDO



BOVDEVILLAEVS
EXCVDEBAT TOLOSAE
ANNO

M. D. LII.

Mense Maio.

